



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor
Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et
Divortiis, Dissertationes Tres**

Meier, Johannes

Amstelædami, 1688

Q. XIII. An incestæ nuptiæ consobrinorum, sive patruelium & amitinorum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40272

sint constituti; Unde & Rabbini hanc inter Secundarias foeminas referunt, ex Scribarum & majorum scitis veritas, sive frater matris sit consanguineus, sive uterinus. Addit R. Moses Mikkotzi קרובו הן פה *in infinitum*, ut neque in patre seu fratre ejusmodi sit terminus. Illicitum esse hoc conjugium, etiam pluribus demonstrarunt de eo consulti Theologi Leydenses, *Heidanns, Coccejus, Hoornbeekius*, quod hic sit propinquitas carnis, adeoque regulæ isti generali locus Lev. xviii. 6. Addunt, hoc conjugium reverentiæ parentibus debitæ, & honestati repugnare, ac scortationi annumerandum Eph. v. 3. 1 Cor. v. 15. Interim personis jam conjunctis cohabitationem permittunt & liberorum suorum sustentationem, ac quoad torum separationem commendant. Vide sis in *Oper. Cocceji Tom. vi. Consilium. xxiii.*

XXV. *Questio xiiii.* An incestæ sint nuptiæ consobrinorum, sive patruelium & amitinorum? Resp. Id nos negare, cum neque ad legem generalem Lev. xix. 6. neque ad subsequentes speciales referri queant. Accedit, quod earum nuptiarum frequentia occurrant exempla in sacris, non modo ante, sed etiam post legem promulgatam Gen. xxiv. 48. xxxix. 12. Num. xxxvi. 11. Consule sis post Augustinum, Calvinum, Lutherum, Melanchthonem. P. Martyrem, Masium ad Jos. xv. Atterfoll. ad Num. xxxvi. J. Gerhardum *de Conj. §. 355.* Voet. *Polit. Eccles. Par. 1. Lib. 3. Tract. 1. de matr. Sect. 2. c. 5. q. 3.* Brouwer *de Connub. lib. 11. integro Cap. xii.* Quo prolixiores illi de hoc casu, eo nos erimus breviores, quia difficultate caret. Karæi hæc nuptias etiam licitas pronunciant.

XXVI. Denique *Q. xiv.* An genero focius interdicta censerī debeat, sicut focero nurus Lev. xviii. 15? Resp. Vix quisquam de eo dubitaverit, cum hac lege non modo per evidentem consequentiam sit prohibita focius, sed etiam expressis verbis cum ea cubans maledictus pronuncietur Deut. xxvii. 23. & comburendus Lev. xx. 14. Quandoquidem vir & uxor sunt una caro. Ideoque vir a proximis consanguineis ejus abstineat oportet, inter quos vel maxime mater est, quæ marito matris loco.

XXVII. Tandem ad exempla, quæ ad hæc expositas leges etiam in contrarium allegantur, brevissime respondendum. Ante legem latam, præter exemplum Judæ cum Tamare nuru congressi Gen. xxxviii. occurrit aliud Amrami, qui accepit Jocabedam ורור *amitam suam* in uxorem. Post legem, Athniel frater Calebi, filiam